



Disputatio juridica inauguralis de inventario haereditario

<https://hdl.handle.net/1874/345235>

33.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
INVENTARIO HÆREDITARIO,

QVAM,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. JOHANNIS LEUSDEN,

Philosophiæ Doctoris, & Linguæ Sanctæ in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academici consensu, & Nobilissima
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini subjicit

WILHELMUS GUALTERUS YAN WARMVLIET, Ultraj.
A. D. 16. OCTOBRIS hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academix
Typographi, cœl. xciii.

A D Prenobili ac venerando VIRO,
D. JOHANNI FREDERICO
A B E E D E N,
generis splendore , fumosisque
imaginibus conspicuo , Doctri-
næ Euangelicæ , quæ secun-
dum pietatem est , præconi fi-
delissimo in Maarzen / Affini
amantissimo.

U T E T

JOACHIMO FREDERICO
à W A R M V L I E T ,
S. S. Theologiæ Studioſo , fra-
tri germano , intimo , dilectif-
fimoque.

Hanc Disputationem Juridicam

D. D. D.

W. G. v. WARMVLIET.



L. B. S.

Dum adspiro tandem ad lau-
ream Doctoralem, quam ge-
nerosa decet ambire pectora,
Candidato mihi volupe fuit
de Inventario Hæredi-
tario materiam feligere, non inutilem ju-
ri atque foro, & hoc aeo haud incogni-
tum; in cuius disputatione breviter ador-
nanda, operam in sequentibus S. S. lo-
cabo; utinam in Summi gloriam commu-
ne bonum, meum, meorumque commo-
dum! sic mecum, amice Lector, vove
atque Vale.

D I S P U T A T I O J U R I D I C A
I N A U G U R A L I S
D E
INVENTARIO HÆREDITARIO.

§. I.



Inventarii (etsi non satis latina vox est, certe non ab eruditis recepta) dictio-
nem retinebimus: quia usū valet; alio-
quin accuratius Repertorium dixerim
JCTi argumento in l. 7. ff. d. adm. int.
ubi insit, Tutor qui repertorium non fe-
cit (quod vulgo inventarium vocant). &c.
Est inventarium ab invenio, quasi in
rem venio, prehendo, iuicere; Reper-
torium à reperio, quod sonat iterum prehendo amissum
recipio, ut repertum sit quasi repartum, & quidem conando
aut tentando, ac unum casus sit & fortunæ; alterum con-
filiii, artis & industriae; sicut non temere cum aliis Naso di-
stinxit, quando sic erupit,

Tunc es quaesita per omnes
Nata mihi terras? tu non inventa reperta es,
Luctus erat levior

Nobis licebit, ut sit communiter, vocibus uti promiscue.

§. I I.

Inventarium itaque sive repertorium d. l. 7. l. 1. §. 3. ff. d.
tut. & ration. distr. (appellatum alibi synopsis, l. 5. §. 12. ff. d.
bon. eor. q. sub. tut. v. cur. rerum libellus l. 9. §. 3. ff. d. jur. dot.
arayzaqñ l. 15. ff. d. reb. aut. jud. poss. bonorum indago l. 7. Cod.
d. bon. proscr. adnotatio l. 2. C. d. bon. vacant. notitia l. ult. C. cod.)
finitur, legitima inquisitorum & repertorum descriptio; vel
ut

I N A U G U R A L I S . 5

ut ex Græco reddit *Tholos. in syntagm. univ. jur. lib. 46. cap. 3. n.*
 2. assertio vel descriptio ejus inquisiti, quod potuit inveniri,
 & velut index est rerum memorie causa.

§. III.

Inventarii hujus usus non increberet est: siquidem in variis
 varie, quorum notabiliora per transennam demonstrasse suf-
 ficiet, frequentari solitus: Ecce enim usufructu gavisuri
 in scripturam redigunt fruendas res, ut inde possit appa-
 rere, an, & quatenus peiores eas fecerint *l. 1. §. 4. ff. usuf. quem. cav.* Mulier ea, quæ præter dotem in dominium ma-
 riti inferebat, olim in libellum, ab eo subscribendum, con-
 jiciebat, ut constaret illata esse, nec si quandoque separatio
 fiat, negarentur *d. l. 9. §. 3. ff. d. jur. dot.* Creditores si in pos-
 sessionem rerum debitoris mittantur. *d. l. 15. ff. d. reb. aut jud. poss.* Curatores ventri dati *l. 1. §. 26. ff. d. ventr. in poss. mitt.* Cu-
 ratores furiosi *l. 7. C. d. cur. fur. v. pr.* similiter mandatis ca-
 vetur, intra annum requirendorum bona obsignari, ut si
 redierint, & se purgaverint, integrum rem suam habeant.
l. ult. ff. d. req. v. abs. damn. quæque Fiseus incorporaturus est
d. l. ult. Cod. d. bon. vacant. Tandem Episcopi quoque sunt
 munia, pecunias pio relicta arbitrio, gestis intervenienti-
 bus, earum quantitatem, & tempus, quo eas suscepit,
 apud Rectorem Provincie publicare *l. 28. C. d. Ep. & Cler.*
 pari ratione, ut non nihil ex Canonum jure admisceam, si
 quispiam Episcoporum de hac luce migraverit, vel (quod
 absit) pro suis fuerit remotis excessibus, omnia, quæ re-
 perta fuerint, facto Inventario subtiliter describantur, mo-
 nente Gregorio *cap. charitatem 45. caus. 12. q. 2.* Sed dum
 maxime frequens ac solenne Inventarium est *Heredarium,*
 illud paulo attentius excusiemus, quantum potest breviter.

§. IV.

Definiri tribus poterit verbis; legitima bonorum *defuncti*
 descriptio *l. ult. Cod. d. jur. delib. iunct. l. 7. ff. d. adm. tut.* quæ suis
 quæque locis patebunt singula inferius. Jus, quod creticis
 antiquæ loco successisse, de qua *Vlp. 3. fragm. iii. 22.* ne
 circa ea longi simus, pervulgatum. Favor quo prædicto re-

medio & jure deliberandi sufficientius cautiusque consulatur hæredi adeungi , si tamen solemnia haud neglexerit ad unguem omnia : esse namque non pauca secundum leges observanda , satis claret : etenim in conficiendo Inventario spectatur (1.) tempus (2.) res (3.) personæ.

§. V.

Primum quod attinet , inchoandum est repertorium intra xxx. dies , & absolvendum intra LX , numerandos ab apertura tabularum & scientia delatae hæreditatis d. l. fin. §. 2. d. jur. delib. non vero aditæ hæreditatis , evincente D. Facheo contr. lib. 4. cap. 35. sufficit tamen intra tres menses compleatur , et si non intra xxx dies incepturn d. §. 2. D. Zoes ad. d. tit. n. 6. sed si res sint in diversis territoriis dissitæ , intra annum d. l. fin. §. 2. 3. vel longius : Clar. Huber pral. ad. ff. tit. d. jur. delib. nam hodie tempus inchoandi consumandique Inventarii moribus non agnoscitur , si credimus Sandio , decis. Fris. lib. 4. tit. 12. def. 2. sed totum secundum leges loci conficitur. Amplissimus Curia Praes D. à Someren de jur. nov. cap. 6. sect. 2. n. 5. & cap. 7. n. 1. danturque XL. dies ab impetratōne diplomaticis , petendi a Principis supremo senatu , Groenew. ad. l. ult. §. 12. n. 1. sive a Curia Sand. ibid. def. 1. Christin. ad. ll. Mechl. tit. 16. art. 51. n. 2. quo tamen obtento , adhuc hæredi integrum fore variare , & simpliciter heredem se gerere , juris nulla ratio obſistit : nam qui adit hæreditatem sub inventario , is certe cupit & vult esse hæres , licet sub illa inventarii qualitate , quæ qualitas si non subſtit , manet si vult simpliciter heres : deinde nonnunquam Prætor variantem non repellit , & consilium mutantis non aspernatur , loquente Papiniano in l. 8. ff. d. collat. bon. quem & ipsum cum aliis Jctis sententiam mutasse , patet ex fine l. 6. ff. d. serv. export. Præsertim si id non fiat , uti certe non fit hic , in alterius injuriam per l. 74. l. 75. ff. d. reg. Jur. juxta quod judicatum refert Sand. ibid. def. 3. porro quicquid id rationabile mores admiserint , ut cognatus , qui adire simpliciter paratus est , hæredi scripto cognatoe propinquiori , per inventarium adeungi , præferatur , eumque excludat , idque ut fiat , diplomati seu rescripto

pto inseri soleat. *Gudel. d. jur. noviss. lib. 2. cap. 18. sub fin.* id ta-
men non esse permisum marito, judicatum est apud *Nec-
stad. supr. Car. decisi. 7.* vereorque, ne contra beneficium, adi-
re pure de patriæ meæ statuto obtineat, ut ex manuscriptis
disco piissimi parentis, olim summi Trajectensium Dicasterii
Senatoris, *vv. c. 2. ap. 10. vid. de Ordinavit. van Utrecht beroe-
rende het benificie van Inventaris/ add. Zijp. not. jur. B. lib. 6. ad fin.*

§. VI.

Secundo loco veniunt res, quas esse in individuo omnes
exacte enumerandas, describendas cum lege ratio dictat:
sive sint corporales sive incorporales, mobiles, sive immo-
biles, sive Testatoris propriae, & in ejus bonis fuerint, si-
ve alienæ, quæ tamen in hæreditate inveniantur, ut res ex
bonis defuncti, utputa depositæ, mutuo acceptæ, pignori-
datæ defuncto, vel precariæ d. §. 2. quia & hæc res petitione
hæreditatis veniunt l. 19. ff. d. hæred. petit. Imo etiam fructuum
& aliarum accessionum, quæ provenere post mortem Testa-
toris, debet haberi ratio *Coraf. tr. d. Invent. n. 23.* & quæ de-
bentur testatori *Tholos. syntag. d. lib. 3. cap. n. 7.* alioquin enim
datur licentia creditoribus & legatariis, si majorem putave-
rint substantiam à defuncto relictam, quam hæres in inven-
tario annotaverit, quibus voluerit legitimis modis, quod su-
perfluum est, approbare, & per tormenta servorum hæredi-
tariorum vel sacramenta illius, si probationes defecerint, ut
si aliquid hæredes surripuerint, celaverint, vel amovendum
curaverint, postquam fuerint convicti in duplum hoc resti-
tuere, vel hæreditatis quantitati computare compellantur.
d. l. 1. §. 10. arg. l. 104. ff. de legat. 1. hinc optime fecerit, sua-
dente Peregio *ad C. b. 1. n. 9.* hæres, si per Notarium prote-
stationem inventarii capiti vel calci inserat, ut si quæ po-
nenda sunt, quæ posita non fuerunt, & si quæ posita sunt,
quæ ponni non debuerunt, nullum sibi præjudicium creare
velit: nam hæc protestatio non solum hæredi, sed & cre-
ditoribus conducit; hæredi, quia cum à mala fide excusat;
creditoribus, quatenus postea res omissæ inseruntur. *Mon-
tic. tr. d. Invent. n. 53. add. Mich. Graff. loc. infr. alleg.* ubi eitat

juxta

DISPUTATIO JURIDICA

juxta Montic. & alibi Roland. Angel. Peref. tr. d. Invent. in quos tamen nunquam incidi. Evidem dolus malus apprime noxius evadet iisdem: nam vel altero tanto, ut dictum, puniuntur, si res omiserint scientes d. §. 10. Peref. ad Cod. b. t. v. 16. Zoes. b. t. n. 22. vel beneficio legis indigni declarantur, eoque privandi, Fachin. 4. controv. 37. Graff. ibid. qu. 12. ut tamen non utroque, id est, & duplo & amissione beneficij plectantur, quemadmodum cum Sandio disputat Huber. dict. tit. ff. sane eos pro puris habendos simplicibusve hæredibus, rerum judicatarum non vili autoritate retulit Sand. lib. 4. decisi. Fris. tit. 12. defin. 5. Zijp. not. jur. belg. lib. 6. ad fin. confer Christ. ad II. Mechl. tit. 16. art. 43. nec aliud dicendum, si omnino non hæredes repertorium fecerint, negligentia spreuve beneficij, ut infra latius; cuius necessitas an, & quatenus remitti queat, posterioris futurum curæ est. Denique monendum est, expedire ut juxta quæ in bonis inque credito reliquit defunctus, ejusdem debita adnotentur; Id quod à prudente fiet si non necessario, quia debita non tam in bonis defunctorum, quam quidem creditorum sunt, saltet tutius, ne illum, ut alibi Poëta;

Exspectata seges vanis cludit avenis.

v. Graff. recept. sent. vol. 2. art. Inventarium hæredit. qu. XI. n. 2.

§. VII.

Tertia personarum consideratio est; requiritur namque (1) ut repertorium, quo tanto certior sit ejus fides, sub praesentia Tabellionum, seu Notariorum fiat d. §. 2. l. ult. qui §. dum modo plurimum, mox unius mentionem habet, disquirunt de numero; sunt qui pluralem exigunt, per l. 12. ff. de test. l. 24. Cod. d. adm. tut. Nov. I. cap. 2. §. 1. pluri-
mi singulari, & rectius excommuni sententia, contenti. D. Zoes. b. n. 7. Amad. Eckholt. ad ff. b. t. n. 7. certe Tabellio (quem chartularium Judicem appellavit Menochius d. præsumpt. lib. 2. præf. 78. n. 1. Scribam Livius I. decad. lib. 2. §. 4.) quum persona sit publica §. 3. Inst. d. adopt. Theoph. ibid. sive servus pu-
blicus l. 18. ff. d. adopt. quod omnibus servire teneatur, si
desque

desque ejus & probitas publice spectata sit, qualis Irenæi illius, viri spectabilis, Tribuni & Notarii l. 61. Cod. d. Decu. (nam solebat conjuncta esse cum Notariatu potestas Tribunitia, aut primiceriatus, ut ex Cassiodoro, aliisque Rosin. Antiq. Rom. lib. 7. cap. ult. ubi V.) sat plenam facturus est fidem, arg. l. 21. Cod. ad leg. Corn. d. fals. ut plures adhiberi, hæreditatis devitando sumtu, superfluum censeri debeat. Secundo necessarium est, evocari quoque Creditores, legatarios aliosve quorum interest, eorumve procuratores, ut intersint certo die, & loco quo inventarium conficitur, ad ejusdem, ut ajunt Practici, Interinimentum; quod est declaratio Curiae, qua hæc Inventarium factum approbat, & auditio consensu creditorum, juramentoque hæredis indulget beneficium legis; qui si noti fuerint, nominatim vocandi, alias generaliter per programma, Zoes. b. n. 8. loco autem Creditorum absentium succedat presentia testium locupletum & bonæ opinionis, juxta ant. sed cum. Cod. ad l. Fal. dist. nov. 1. cap. 2. §. 1. Tertiò requiritur, ut hæres subscriptionem supponat, significantem & quantitatem rerum, & quod nulla malignitate circa eas, ab eo facta vel facienda nos apud eum remaneant: vel si ignarus sit litterarum, vel scribere præpediatur, specialis Tabularius ad hoc solum adhibetur, antea tamen manu hæredis præposito venerabili, sive, ut synopsis Basilicorum vertit, adorabili Hub. ad. d. Tit. ff. ubi v.) signo i. e. crucis d. §. 2. l. ult. Cod. b. t. cuius tamen omissionem non vitiare inventarium, communius est receptum: quin levium solemnitatum, addo ego, inanium & superstitionarum, cuiusmodi est ista crucis, defectus regulariter actum non vitiet, arg. l. 1. §. fin. ff. de Venit. insp. quicquid Christianum delirent apponi, Petr. Gregor. Tholos. Syntag. lib. 46. cap. 3. n. 9. non minus, quam instrumentum a Notario.

(— — Cui litera verbum est,
Quique notis lingua saperet cursusque loquentis,)

compositum, religiosa Numinis mentione (quam nunquam usquam lex præscripta v. Nov. 44. Nov. 47. cap. 1.) vacare

potest, nequaquam obstantibus Nov. 90 pr. l. 1. l. 2. Cod. d. offic. Pra. sec. Præ. Af. l. 3. C. d. V. j. E. Nov. 6. pr. &c. Hoenon. qu. & conirov. Forster. & al. ad pr. j. quin tamen eam introducere posse Magistratum, ob majorem Dei altitonantis verecundiam, argumento sunt, quæ cum aliis tradidit ad dictam epigraphen ḥ πάντα Juris antecessor Cypr. Regn. ab Oosterga cens. Belg. sane licet more Regionis pie forent observandæ ejusmodi formulæ, vel usū potius in nostratum ultimis elogis recepto, metuo venerabile JEHOVÆ nomen iis plus nimium temerari, saltem in vanum, quod tam enixe Decalogus ve- tuit, accipi.

§. V. I. I. I.

Ubi autem prædicta erunt ritè peracta, vel non examus sim observata, luculentæ, nobilesque sequuntur effectus (quorum testante Grasso ibid. qu. 15. Monitio non sine maximo cruciatu LXX. colligit) commodi incommodi, quos deinde ordo exigit brevioribus serutari.

§. I. X.

Commoda spectant Inventarium tum cæptum, tum impletum; cæptum ubi fuerit, res jubet, ut creditores molestiam hæredi creare aut inquietare eundem cayeant. d. l. ult. §. 1. veruntamen si conveniat hæres, non qua talis, sed tanquam simplex possessor reali judicio, quia illud competit contra quemvis possessorem, l. 41. §. 1. ff. d. re. judic. recte fiet interpellatio, pendente etiam dilatatione faciendi inventarii; Item si pro legatis ad pias causas, puta pro solvendis iis pauperibus, qui fame premuntur: vel pro sumtibus in funere faciendis, aliisque necessariis impensis, quæ moram non patiuntur, interpelletur d. l. ult. §. 9. Addunt, &c. conveniri hoc tempore pro male ablatis a Testatore repetendis, pro deposito recuperando, vel commodato, ne petreat, quod datum est. arg. l. 1. §. 9. ff. sicut plus quam per leg. Falcid. quæ etsi omnino non temnenda sit doctrina Syntag. Tholof. d. t. n. 20. 21. gravor tamen eam per omnia amplecti, per ea quæ disputat Fachin. lib. 6. cap. 27. sicut interim hæredi quoque integrum erit, creditoribus emergentibus secundum juris

juris ordinem, quatenus vires ferunt hæreditariæ, satisfacere, sive in pecunia, sive in rebus in solutum dandis. *d. l. ult. gl. 5. 6.* si nempe non adsit pecunia sufficiens. *Fachin. contriv. lib. 4. cap. 39.* quo casu aliud pro alio invitò creditorì solvi poterit, contra ordinarii Juris tenorem. *Peregr. ad Cod. d. t. n. 11.* modo liquidus satis sit ille ordo. add. *Christ. ad II. Mechl. iii. 16. art. 51.* in add. n. 23. vers. sed an passit *Diss. Argentr. ad Cons. Britan. art. 515. gl. 1. n. 4.* ubi dicit hodie non licere cuilibet venienti solvere *v. Gasp. Thesaur. qu. for. lib. 2. qu. 16. n. 16. 17.* quando nec ab aliis, postea supervenientibus conveniri posset: dummodo ne sciens plures esse, eos studio præterire, ac malitiose quosdam ex integro præferre voluerit *D. D. ad. d. § 4. l. ult. Cod. b. t. 1. ff.* si cui plus quam per leg. Falcid. sed hi legatarios aut creditores, quos ipsi præcedere debuissent, compellare jubentur; in quem usum condicō est ex *d. l. ult. §. 7. 8.* nam si creditores de *προτορεξίᾳ* contendant, palam est, hæredem ejus rei non esse arbitrum; sed ad judicem recurrentum, uti in haec verba eleganter *Cf. Hub. m. praelect. ad Tit. Inst. d. hered. qu. & diff. n. 7.*

Cæterum fructus Inventarii eo, quo par est, modo perfecti, plures sunt: inter commoda palmarium est 1. quod hæredes repertorio confecto non modo legatariis, sed nec creditoribus ultra vires hæreditarias teneantur: ne dum lucrum facere sperant, in damnum incident; cum alioquin hæredes ex defuncti persona obligati constet *d. l. ult. §. 4. cod.* quamobrem Inventarium dicitur *Beneficium*, & contra antiquas Juris regulas *l. 10. Cod. b. t. l. 33. ff. solut. mar.* quibus hæredes obstringebantur omnibus creditoribus hæreditariis, etiam si hæreditas non sit solvendo, velut ex ipso contractu & facto defuncti, qui obligationem & actionem, qua illis teneri ceperat, in hæredem suum transmittit *D. Vinn. ad. §. 5. Inst. d. oblig. q. q. ex contr.* Secundum Inventarii beneficium reponitur in eo, quod hæres ea, quæ defunctus sibi debuit, per confusionem non amittat, ut alioquin fieret: sed perinde suum, ut reliqui creditores, servare possit *d. l. ult. §. 9. l. 6. Cod.*

DISPUTATIO JURIDICA I

Cod. ad leg. Falcid. Inducit enim Inventarii confectio quandam bonorum possessionem, seu potius separationem, eoque rem reducit, quasi hæreditas adita non esset; excepta actione pænali: pæna enim ad lucrum tendit, quod in detrimentum aliorum hæredi conservari durum foret, uti uon abs re hæc est cautela *D. Zoef. ad b. t. d. iur. delib. n. 11.* per l. 48. ff. ad leg. Aquil. De cætero cessat ea juris vetusti dispositio, qua traditur, aditione hæreditatis actiones hæredi adversus defunctum competentes confundi l. 7. *Cod. d. pæb. l. 6. Cod. d. hered. act. l. 14. Cod. ad l. Falc. l. 95. §. 2. ff. d. solut.* Tertium memoratur beneficium, quod hæres legatariis falcidiā detrahere queat d. §. 4. sed hoc, docente Hubero *loc. citat.* revera non est inventarii beneficium: quia, inquit, antehac dudum hæredes deductionis illius copiam haberunt: verum habetur pro tali, quatenus omissione Inventarii privationem falcidie infert; oppido bene: nam ut necessitatem Justinianus universis imponeret Inventarii confiendi, quoties non admodum liquida hæreditas obtigisset, tria sanxit neglecti inventarii incommoda, commodis recensitis e. diametro contraria, ex quibus tamen unum tantummodo novum, & ex ipsius constitutione oriundum est.

§. X I.

Hoc est, quod creditoribus in solidum, etiamsi bona exhausta sint, teneatur hæres, §. 12. d. l. ult. sed an creditoribus tum hæreditariis, tum testamentariis seu legatariis & fideicommissariis? & his quidem etiam propter agnitionem voluntatis defuncti solida legata quasi ex contractu deberē intelligitur, d. §. 5. *Inst. d. obl. q. q. ex contr.* non tamen ultra, aut in plus, quam est in hæreditate, quod summa rationem habere inculcat Idem *Vinius ad. d. §. 1. Inst. d. sing. reb. per fid. rel. Huben. ad Tz. Inst. d. hered. q. & diff.* equidem jure veteri: nam novo fecus obtinere, ratus est, *per nov. l. cap. 2. §. 2. Zoef. b. t. n. 23. Peref. in Cod. b. t. n. 12.* sane habet hæres, quod suæ facilitati expensum ferat: nam imputet sibi, non dunt axat, quod solvendi onus suscepit, eo quod contempserit legis beneficium, quo perfui cautiore aditione potuerat d. §. 12. sed & quod

quod suspicionem ~~πλοτίς καὶ πανηργήματος~~, furti atque fraudis, contra se militare fecerit; haud inani præsumtione expilatae hæreditatis, ante sufficientis, aut pro tali saltē habitæ; & quod eam non adhibita adnotatione studuerit conturbare, creditores fatigetur quoescunque circumvenire, confusa adeo facere, miscere omnia, ut videatur velle versari male, & iis, quorum interest singulas massæ partes in conspectum proferri, non res, sed verba dare: qui adeo probas acceptorum & inventorum in hæreditate rationes (quarum caput & principium est inventarium) nolle, neque posse facere suspicionem excitat; ut proinde protervus hæres (qui credi vix ac ne vix quidem potest, temere, non exploratis hæreditatis viribus eam adire, aut ei se immiscere, eumve onerare testatorem ultra bonorum suorum summam voluisse) hanc luat suæ malignitatis pænam, leges transcendens, ex quibus caute omnia agens, nihil poterat damnificari, juxta loquelam Imperatoris in Nov. I. cap. 2. §. 2.

§. X I I.

Superioris tamen regulæ attendendas esse aliquot exceptiones, æquitati congruere videtur: cessabit enim ea pæna (1.) in Fisco hærede, utique quatenus bona tanquam vacantia occupavit l. l. §. 1. ff. d. jur. fisc. non quando succedit jure hæreditario. Zoef. ad. d. tit. ff. n. 28. adde omnino Fachin. lib. 6. controv. cap. 21. (2.) si mortuus, de cuius hæreditate agitur, dum viveret, bonis cesserit Id. ibid. (3.) si creditores & legatarii fateantur nihil amplius fuisse in hæreditate, Id. ibid. n. 15. Peref. in Cod. b. t. num. 12. (4.) sic defunctus reliquerit quipiam alicui taxandum officio Judicis, ut alimenta. v. Fachin. controv. lib. 6. cap. 39. (5.) si hæres sit, cui libertatis causa bona addicantur (6.) in executoribus testamentarioris, ut ex Jafone meminit Tholos. Syntag. jur. lib. 46. cap. 3. n. 19. Sed ea signatim premere, instituti non patitur ratio.

§. X I I I.

Id vocant in dubium, an quæ ita cauta sunt civili jure, Canonibus æque recipiantur, nec non in interiori conscientiæ foro? primum ajo, cum laudato D. Fachin. controv. lib. 6.

DISPUTATIO JURIDICA

cap. 23. posterius, justa ratione motus, pernego cum eodem
lib. dict. cap. 24. Nam, ut superius evictum, nititur dispositio
 allegati juris, & se fundat super aliqua presumtione, quæ
 et si in foro soli, non æque poli obligat, si pura veritas ei non
 respondeat; non obstante eo, quod legem à summa potesta-
 te positam, conscientiam in utrovis foro obstringere urgeant
 dissentientes; de qua re plenius differuere *D. Mich. Gräß. sent.*
ad lib. & §. qu. 21. Fachin controv. lib. 6. cap. 24. Zoes. ad ff. b. t.
n. 24.

§. X I V.

Nunc in scenam filius prodeat familias; hic ubi beneficium
 hoc neglexerit, excidetne legitima? quæstio plus satis vexata,
 quæque Doctorum ingenia contorsit mirifice; plerique
 partem tuiti sunt negativam, autumantes contrariam esse
 inimicam humanitatí, non toleranti per ~~soq~~ tam vehe-
 mentem contra liberos presumptionem: nec non juri naturæ,
 cui haud prævalet civile, & quod legitima ad instar sit alieni
 æris, respuens omne gravamen. *fac. l. 7. ff. d. bon. d. imm. l. 32.*
l. 36. Cod. d. inoff. test. l. un. pr. C. d. Imper. lucr. descr. Quanta ta-
 men hæc sunt omnia, si hujus beneficij contemtores (quales
 esse eos dedecet, propter rationes *Petri Greg. Tholos. m. Syntag.*
d. lib. 46. cap. 3. n. 22. & seq.) reperti fuerit filiifam.

Dent ocyus omnes,

Quas meruere pati, sic stat sententia, penas.

uti pro me disputavere *D. Zoes. ad Tit. ff. d. jur. delib. n. 16. Pe-*
ref. ad Tit. C. eod. n. 13. Diff. Hub. præfect. ad Inst. tit. d. hered. q. &
diff. n. 6. & ad ff. eod. Fachin. Controv. lib. 4. cap. 34. Gräß. sent. lib.
2. art. inventarium qu. 24. & al.

§. X V.

Sed an perinde amittetur Trebellianica? Id negant com-
 muniter. Vide, ne eorum scrinia compilem, latè *Gräß. ibid.*
qu. dict. n. 2. Fach. d. lib. cap. 38. Zoes. ibid. n. 17. Peres. n. 15.

§. X V I.

Cæterum, quemadmodum omnes obtemperare legi con-
 venit, Demosthene finitore in *l. 2. ff. de leg. dicendum, neminem*
hac parte exlegem esse, nisi militem propter simplicitatem,
de

de qua re in f.d.l. ult. quam tamen abrogatam, aut correctam dicas per Nov. 1. cap. 4. ad fin. verum cum non sit facile inducenda correctio, videtur recte sentire Cujac. ad. d. Nov. in fin. militem quidem non excusari ab observanda voluntate defuncti, de qua ibi præcipue: non etiam mulctari propter neglegentiam inventari confectionem, & ita recte Zoes. d. tit. n. 20. alioqui ne Ecclesia quidem haeres immunis ab hac sanctione futura erit, per manifestum Textum in Nov. 115. cap. 3. s. 13. v. Fachin. l. 6. controv. cap. 25. præsertim si fuerint, contra quos habeat Ecclesia regressum, si ob illorum negligentiam damnum passa est. Graff. d. art. qu. 3. n. 8. at prætermittentes pauperes ab isto legis pænali force liberos, aut si non, saltem restitutionem in integrum adversus omissionem Inventarii confectionem posse peteret, responderunt benigni inopum fautores v. Fachin. contr. lib. 6. cap. 20.

§. XVII.

Quid quod & ii ista pæna non sint prægravandi, quibus necessitas confaciendi inventarii à Testatore fuit remissa: nam id ei integrum esse constat, non quidem in præjudicium creditorum, ne testatoris facto iis inferatur injuria, quæ oriatur ratione debiti: cum non fieret satis, si pro lubitu daretur haeredi potestas abutendi rebus haereditariis: bene tamen legatiorum aut fideicommissiorum, quibus si non luisset, nihil quoque relinquere cogebatur; hisce adde, quod inducta sit repertori confectione in favorem ultimæ voluntatis, cui liberum est renunciare, sicut ex Convar. Peref. ad d. tit. C. n. 18. Zoes. ad d. tit. ff. num. 23. Tholos. Syntag. d. cap. 3. n. 15. nihilo secius, atque moribundus Inventarii confectionem tutori testamentario non potest non remittere, confusus persuasusque de ejus fide, aut prohibere justa de causa l. 7. Cod. Abur. iur. ibique D. Groenewegen, qua & permotus index idem vetare potest, teste Busio ad l. 7. ff. d. adm. iur. Add. omnino Fachin. lib. 6. controv. cap. 25. Graff. d. artic. qu. 2. n. 3. Tholos. Syntag. ifid. n. 16.

§. XVIII.

Hac pro ratione materia dicta sufficiant. Et si in his culpa quid erra-

erratum vel negligentia pratermissum sit, venia locum concedi peto. Nam (ut cum Imperatore nostro loquar l. 2. §. 14. Cod. d. vet. jur. encl.) in nullo penitus errare, omniumque habere memoriā, divinitatis magis, quam mortalitatis est; Nunc

Omnibus in rebus satis est voluisse; voluntas,

Cetera si desint, respicienda venit.

C O R O L L A R I A.

I.

Quærela inofficii testamenti est ipsa hæreditatis petitio, non vero actio præparatoria.

I I.

Causæ exheredationum recensitæ in Nov. 115. cap. 3. & 4, similes, aut graviores non excludunt.

I I I.

Invecta & illata in prædium rusticum non tenentur tacito jure pignoris.

I V.

Qui credit in refactionem navis, non habet legalem hypothecam.

V.

Maritus est dominus dotis.

V I.

Contractus in testamento celebrari nequit.

F I N I S.